

aliis respondetur, cum hac aetate post sufficientem doctrinae confirmationem miracula defierint, non esse dicendum nouum aliquod opus contra ordinem institutum edi in doctrina. Sed excipiunt aliqui veteres in expositione coenae merifice praedicare Dei omnipotentiam et eam referre non ad vsum, sed ad substantiam coenae, vt Augustinus loquitur.<sup>75</sup> Recte igitur miraculosam praesentiam constitui. Respondeo: Substantia, id est formale et fructus coenae, vt infra ostendemus, congruunt, et est κοινωμία corporis Christi. Hic vero merito omnipotentia et bonitas Dei celebratur, quae cum illa externa sumptione contra et praeter ordinem physicum, imo contra immutabilem ordinem suae diuinae iustitiae intus in corde Filius Dei credentes ex morte retrahit in vitam et nos suo corpori efficit similes. Verum, vt supra dictum est, haec mirabilis et omnibus creaturis ignota viuificatio nunc habet rationem operis ordinarij, quia propter intercessionem immutabilis iustitia Dei mitigata est. Et decretum factum hominem lapsum propter obedientiam Filij recipiendum in gratiam atque horum beneficiorum per ministerium fit denunciatio et obsignatio in credentibus. Ita prorsus loquitur Paulus: „Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti“,<sup>76</sup> id est res, cum qua Filius Dei potenter in credentibus [23:] est efficax.

Ex natura et institutione sacramentorum extruimus deinde et confirmamus vsitam et veram regulam, quae docet, sacramenta tantum esse sacramenta in vsu a Christo instituto.<sup>77</sup> Si quis vtatur aqua baptismi ad sanandum lepram, idololatria est neque tunc est sacramentum, quia hic non est vsus institutus a Christo. Ita theatra circumgestatio et adoratio panis similis pompae Persicae<sup>78</sup> idololatrata est, quia coena transformatur in opus, quod toto genere diuersum est ab vsu instituto nempe a sumptione. Neque etiam mus rodit corpus Christi nec guttae manantes in vestimenta aut humum sanguis Christi sunt. Non enim iste est vsus. Deinde aliud etiam addimus ἀξίωμα magni momenti: Christus adest non propter elementa, sed propter hominem.<sup>79</sup> Perinde sicut Deus nequaquam alligatus est ad illum externum sonum praedicationis, sicut de nobis spargunt enthusiastae, ita non adest propter aquam baptismi aut propter panem et vinum coenae, quasi ea elementa peculiari aliqua et diuina autoritate vel gloria ornare velit, sed adest, vt per illa externa symbola in credentibus ea efficiat, quae offert promissio euangelij et quorum illa externa symbola sunt σφραγίδες. Ita de pane vetus scriptor Theodoretus expresse ait φύσιν οὐ μεταβαλόν.<sup>80</sup> Non igitur duplex est constituenda praesentia,

<sup>75</sup> Vgl. Augustin, De trinitate III, 4, in: PL 42, 873f (CChr.SL 50, 136,30–137,54).

<sup>76</sup> Röm 1,16.

<sup>77</sup> Vgl. unsere Ausgabe, Nr. 9: Niedersächsisches Bekenntnis (1571), Anm. 51.

<sup>78</sup> Vgl. unsere Ausgabe, Nr. 1: Propositiones (1570), 71, Anm. 183.

<sup>79</sup> Vgl. zu diesem Axiom Philipp Melanchthon, Iudicium de coena Domini (1560), in: CR 9, 962 (MWA 6, 485,12–15).

<sup>80</sup> Theodoret, Eranistes I, in: PG 83, 56 (Ettlinger, 78,30–79,2).